



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1634

Secunda Pars eiusdem Meditationis de Christi vexillo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60472)

SECUNDA PARS *eiusdem*
Meditationis.

SECUNDA huius Exercitij pars consistit in applicatione Exercitij dicti de Rege temporali ad Christum Dominum nostrum; & continet tria Puncta, quæ primis dictis respondent.

PRIMUM PUNCTUM. Hic considerari debet, quomodo Christus Dominus noster sit Rex à Deo electus. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Psal. 2. Et licet regnum eius non sit de hoc mundo, ut ipse dicebat Pilato, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ioannis 18. quia non est temporale, sed spirituale, nec aliquam felicitatem temporalem promittit, sed æternam: nihilominus tamen venit ille Dominus gesturus bellum, & regnum sibi acquisiturus, veritati intellectum omnium, & voluntatem obedientiæ mandatorum Dei subiiciendo, homines à potestate tenebrarum, & à tyrannicâ peccati suarumq; cupiditatum seruitute liberans. *Vt non regnet*

regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius. Rom. cap.6. Et quamdiu mundus durabit, non deerunt hostes dicti Regis imperio rebelles, donec tandem omnes partim amore & obedientiâ, partim feueritate & pœnis sibi violenter subiiciat. 1. Cor. 15. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, &c. omnia enim subiecit sub pedibus eius.* Ad hanc militiâ vocatur à Domino totus mundus, & singuli in particulari, vt bellum saltem inferant sensualitati & amori proprio, donec perfectè ille Dei voluntati subiiciatur; sicut dixit Matth. 10. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium, &c.* Porro in hac pugnâ, quâ mortales subiiciuntur veritati & obedientiæ mandatorum Dei, Christus Rex noster semper difficillima periculisque maximè exposita aggredi solitus est, in continuâ viuendo contradictione, vt etiam vitam suam in Cruce exponeret, ad milites suos ne deficerent

animandos : hinc nos ad sui imitationem inuitat, vt dicitur Ioan. 12. *Qui mihi ministrat, me sequatur.* & Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini, animis vestris deficientes, &c.* Secundum hoc IESVS CHRISTVS Dominus noster exemplar est & idea in quam oculi nobis conueniendi : & tantò erit illustrior nobis victoria, quantò ei magis similes fuerimus ; eoque plus gloriæ nobis expectandum, quò plus de eius laboribus participauerimus. Roman. 8. *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.*

Applicando hæc omnia ad propositum nostrum, si subditi sibi honori ducant, quòd similes esse, & in partem aliquam laborum sui Regis temporalis venire possint, spe aliquâ victoriæ allecti ; pugnam detrectabimus nos ignaui & vecordes sub signis Regis nostri, tam illustri nobis exemplo præeuntis, qui omnes nobilitate & excellentiâ superat ? cuius tam sunt glorio-
sæ

sæ expeditiones, præmiaque omnium
 Regum donaria coronasque excellunt?
 Quomodo à paupertate & contemptu
 ita nobis timemus? cur offendimur,
 si ita nos tractet mundus sicut olim
 Christum Dominum nostrum tracta-
 uit? Hanc rationem, utpote summi
 momenti, Saluator noster frequenter
 suis discipulis inculcare voluit. Ioan.
 cap. 15. *Mementote sermonis mei, quem
 ego dixi vobis; non est seruus maior do-
 mino suo. Si me persecuti sunt, & vos
 persequentur: si sermonem meum serua-
 uerunt, & vestrum seruabunt.* Et idem
 Dominus eos qui hanc eius contem-
 nunt imitationem, non vult vocari
 suos, sed se indignos ait. Matth. 10.
*Et qui non accipit crucem suam, & sequi-
 tur me, non est me dignus.*

In SECUNDO PUNCTO fiat vis in
 eo quod dicit; quòd, auditâ hac ratio-
 cinatione, quotquot sanum habent
 iudicium, rationeque vtuntur, luben-
 tes se totos laboribus istis consecra-
 bunt: quia quod hic petitur, est ob-

latio & sacrificium ipsiusmet personæ,
 & quidem totius, nullâ aut re aut po-
 tentiâ reseruatâ. Et vt hoc sic fiat, suf-
 ficit habere iudicium, & ratione vti:
 quia re illâ tam benè intellectâ, ma-
 nifestum est, defectum esse iudicij, si
 contrarium faciat. Et experientia hoc
 in omnibus qui sani iudicij fuerunt,
 quosque Deus suâ luce illustrauit, cla-
 rē confirmat: nam tanta huic voca-
 tioni inerat efficacia, vt infinita ferè
 Gentium multitudo ad hanc Christi
 imitationem excitata sit; hinc post-
 modum Apostolorum prædicatione tot
 hominum millia ad fidem conuersa
 sunt, quos sequentibus tum annis in-
 numeri Martyres, gloriosi Confesso-
 res, purissimæ Virgines & sancti Ere-
 mitæ secuti sunt: qui ex omni statu, &
 in omni ætate, in tantis laboribus &
 persecutionibus imitati sunt Saluato-
 rem. Hebr. 12. *Ideoq; & nos tantam
 habentes impositam nubem testium, depo-
 nentes omne pondus, & circumstans nos
 peccatum, per patientiam curramus ad
 pro-*

propositum nobis certamen : aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ, atque in dexterâ sedis Dei sedet. Quibus verbis videtur Apostolus summam huius Exercitij descripsisse.

IN TERTIO PVNCTO (in quo dicitur, *Non seipsos tantum ad laborum tolerantiam, verum etiam maiora & præclariora quedam munera oblaturi sunt, expugnatâ carnis, sensuum, amorisq; proprij & mundani rebellione*) Notandum, quòd etiam si in discursu suo, quem Rex facit, videatur vocare Centuriones & milites, vt in mundi expugnatione subiciendisq; suæ & Patris obedientiæ hostibus se iuuent, designans in hoc Ministros Euangelicos, qui ad animarum conuersionem multum conferunt; tamen clarè ex hoc loco intelligitur, quòd bellum illud in eo inchoëtur, vt quisque sibi, hoc est suæ sensualitati, amorique proprio & mundano bellum indicat: quia certissima

regula est, & quasi primum principium huius doctrinæ, vltima illa quâ secunda Septimana finitur sententia : *Hoc unusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore suiipsius & commodi proprii affectione sese abstraxerit.*

Notandum secundo, Quod oblatio illa quæ fit in tertio Puncto, verbis tam efficacibus & tanti feruoris, nullo modo sit votum ; nec ea fuit intentio sancti Patris nostri ; sed tantum feruens desiderium, & propositum, & deliberata voluntas imitandi IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, illumque per viam crucis sequendi : & hoc propositum fructus est huius Exercitij, & id est quod initio eius in secundo Præludio petebatur, quod est gratia, ne eius vocationi obsurdescamus, & prompti alacresque simus ad eum sequendum, eiusque voluntati obtemperandum. Quia supponitur ex Meditationis discursu, quod eius vocatio fit ad tollendam crucem ; iuxta id quod dixit
Matth.

Matth. cap. 16. *Si quis vult venire post me, &c.*

Notandum tertio, Quòd illa crux Saluatoris in hac & sequentibus Meditationibus secundæ Septimanæ ad duo reducatur; primò, ad humilitatem in ferendis iniuriis; secundò, ad paupertatem in rerum temporalium contemptu. Et hæc paupertas duplex est: quarum vna in affectu consistit, repellendo à se diuitiarum amorem; altera in effectu, actualiter omnibus rebus renuntiando. Sic etiam vna est humilitas cordis, quæ consistit in contemptu honoris; altera actualis, quando re ipsâ aliqua humiliatio vituperatioque subeunda est.

His positis, meliùs intelligetur quod S. Pater noster præ tendit in tertio hoc Puncto: quia cordis humilitas & paupertas spiritus vniuersaliter ad omnes Christianos spectant, à se omnem honoris & diuitiarum affectum reiiciendo, eumque, quantum in se est, in iis quæ his contraria sunt collocando; &

hinc ab omnibus generaliter petitur, ut se hoc modo ad amorem Crucis offerant. Verum omnibus non convenit paupertas actualis, & reipsa iniurias & contumelias ferre; sed eas ferre quando Deo placuerit, nos earum occasionibus obiicere, & nos diuina Maiestas ad paupertatis actualis statum vocare dignata fuerit: quod tunc constabit, quando fiet electio. Et ideo hic à nobis aliud non petitur, quam ut, quantum in nobis est, magis inclinemur, nosque offeramus ad iniurias & ad paupertatem, quò perfectius Christum Dominum imitari possimus: & illam dispositionem in nobis hoc Exercitium requirit (etsi in tempus electionis & conclusionis reiiciendo) eamque deliberationem, an ad maius Dei obsequium sit, actualem paupertatem eligere, & nos offerre ad infamiam & humiliationem cum effectu.

QVIN-